UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

M. DC. LXI. Coloniae Munatianae, 1661

De Poenis. Titvlvs XXXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62953

Visual Library

ciſternæ reddet pretium jumentorum: quod autem mortuum eſt, ipſius erit.

CAP. III.

Breve eſt, & ideò non ſummatur.

Idem.

SI *a* bos alienus cornupeta fuerit ab heri & nudius tertius, & non cuſtodivit eum dominus ſuus, reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet.

CAP. IV.

Breve eſt, & non ſummatur.

Idem.

SI *b* læſerit quiſpiam agrum vel vineam, & dimiſerit jumentum ſuum, ut depaſcat aliena, pro damno æſtimationem reſtituat.

CAP. V.

Breve eſt, & non ſummatur.

Idem.

SI *c* egreſſus ignis comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum qui ignem ſuccenderit.

CAP. VI.

Breve eſt, & quaſi idem cum præcedenti.

Ex pœnitentiali Romano. *d*

SI quis domum vel aream cujuſquam incenderit voluntariè, ſublata & incenſa omnia reſtituat, & tres annos pœniteat.

CAP. VII.

Secularis poteſtas, quæ clericum bannivit, condemnari debet per judicem eccleſiaſticum, ſecundùm æſtimationem injuriæ in expenſis & damnis. Et hodie adde pœnam in Clem. 1. de pœnis.

Honorius III. *Epiſcopo Bononien.*

OLim *e* ſcribentibus nobis Epiſcopo Mutinen. ut poteſtatem, conſiliarios & populum civitatis Florentin. ad ſatisfaciendum de damnis & injuriis irrogatis Epiſcopo, & eccleſiis Feſulan. cen. eccleſ. coarctaret, idem teſtes lite non conteſtata recepit. Quare nos ejus proceſſu penitus revocato commune Florentin. quia banniverat Epiſcopum Feſulanum contra Deum & eccleſiaſticam libertatem, propter injuriam banni, & expenſas, & damna tali occaſione ſecuta, taxatione juramento præmiſſo in mille libris uſualis monetæ, prædicto Epiſcopo ſententialiter duximus condemnandum.

CAP. VIII.

Qui jurat ſtatutum ſuper non repetendis damnis, hoc non obſtante expenſas repetere poterit. h. d. vel ſic: Statutum ſuper damnis non repetendis, ad expenſas non extenditur.

Gregorius IX.

IN noſtra *f* & fratrum noſtrorum præſentia propoſuiſtis, quòd olim cives Brixien. pro *g* reſtaurationibus damnorum illatorum ad invicem, quæ propter multas civiles diſcordias incurrerant, plurimùm aggravati, ſtatutum editum de non petendo vel recipiendo in poſterum reſtaurationes hujuſmodi à communi generaliter approbarunt, & firmarunt etiam juramento: & infrà. Cùm igitur aliud ſit damnorum reſtauratio, quàm ſatisfactio expenſarum: & ideò in juramento exhibito ſuper damnorum articulo intelligi non debeat, quòd factum expenſarum fuerit comprehenſum: mandamus, quatenus (juramento non obſtante prædicto) auctoritate noſtra provideas, quòd dictum commune pro bono concordiæ ad expenſarum ſatisfactionem aliquid *h* contribuat, juxta tuæ diſcretionis arbitrium, à te ſicut expedierit, moderandum.

a *Exod. 21.* b *Exod. 22.* c *Ibid.* d *Similis ſententia reperitur apud Burch. l. 19.* e *vide Clem. 1. de pœnis. ca. Gravis. ſupr. de reſtit. ſpol.* f *vide gl. in c. ſi canonici. verbo, damnis & injur. de offic. ordi. in 6.* g *dictio, pro, deeſt in vetuſtioribus codic.* h *dictio, aliquid, deeſt in antiq. exemplarib.*

CAP. IX.

Habet plura dicta, & ſe ſummat.

Idem.

SI culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem fortè tuliſti, aut hæc imperitia tua, ſive negligentia evenerunt: jure ſuper his ſatisfacere te oportet, nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam. Quòd ſi animalia tua [illegible] nas, nihilominus ad ſatisfactionem teneris, niſi [illegible] do paſſis damnum, velis liberare teipſum: quod tamen ad liberationem non proficit, ſi fera animalia, vel quæ conſueverunt nocere fuiſſent, & quam debueris non curaſti diligentiam adhibere. Sanè licet, qui occaſionem damni dat, damnum videatur dediſſe: ſecus eſt tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de [illegible] nil omiſit.

DE POENIS.

TITULUS XXXVII.

CAP. I.

Totiens puniendus eſt criminoſus, quotiens delictum iterat.

Ex concilio Toletano.

EA quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti ſententia condemnentur.

CAP. II.

Interficiens Presbyterum puniendus eſt: & pœnæ pars eccleſiæ, cui præfuit, alia pars pro ejus anima diſtribuitur.

Ex concilio Triburienſi. *a*

PResbyteri interfecti compoſitio Epiſcopo, ad cujus parœciam pertinet, ſolvatur, ita ut medietatem utilitatibus eccleſiæ, cui præfuit, tribuat, alteram in eleemoſynam juſtè diſpertiat: Quia nullus ejus hæres propinquior videtur, quàm qui ipſum Domino ſociavit.

CAP. III.

Non debent prælati pro criminoſis ſuſtinendis pœnam exigere, nec etiam correctionis cauſâ ex cupiditate pœnam pecuniariam imponere.

Alexander III. *Cantuarien. Archiepiſcopo.*

LIcet *b* juxta Apoſtolum: [*1 & infra.*] Accepimus, quòd Archidiac. Conventren. epiſcopatus pro corrigendis exceſſibus, & criminibus puniendis, à clericis & laicis pœnam pecuniariam exigunt, & pro annuo cenſu ſine pecuniæ perſonas quandoque ſuſpendunt, eccleſias interdicunt, à vicariis denarios, ut eos in eccleſiis commorari permittant, exigere non formidant, & alia agunt, quæ canonum obviant inſtitutis, & de radice cupiditatis & avaritiæ prodire videntur: & infrà. Mandamus, quatenus Archidiaconis prædicti epiſcopatus hoc diſtrictius interdicas: ſi autem contravenire præſumpſerint, eos appel. ceſſan. eccl. cen. compellas.

[*1 Arguere, obſecrare & increpare ſtudeamus: ſic tamen debemus exceſſus corrigere ſingulorum, ut probemur non quæ noſtra ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti ſunt, quærere, ut in correctione facienda videamur modeſtiam, & maturitatem ſervare.*]

CAP. IV.

Victus condemnatur victori præſenti in expenſis, etiam in cauſis pecuniariis, & unum caſum excipit.

Idem *in concilio Turonen.*

CAlumniam *c* & audaciam temerè litigantium com-

a *Eſt in concil. Triburienſi ſub Arnulpho Imperatore ca. 4. & [illegible] aliis verbis referunt Burch. l. 6. dec. c. 11. Ivo p. 10. c. 140 & [illegible] ve Palea 17. q. 4. ca. omnes Presbyteri.* b *C. 3. eod. tit. in 1. compil. & poſt conc. Lat. ſub Alex. III p. 2. c. 3.* c *C. 5. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. ſub Alex. III p. 3. c. 2.*

demnandi

demnando in expenſis, & alio multiplici remedio ſanctio imperialis compeſcit. Quoniam igitur ſacris inſtitutis conſonare dignoſcitur, præcipimus, ut de cætero in causis pecuniariis victus, victori in expenſis condemnetur: niſi ſententia pro abſente feratur.

CAP. V.

Clericus cauſam ſeu operam præbens bello, deponendus eſt.

Innocentius III. *(Midroſienſi) Archiepiſcopo.*

QVod in *a* dubiis: *& infrà.* Quia verò tam ſacerdotes, qui gubernant naves ad pugnam, quàm qui perſonaliter exercent conflictum, & hi, qui alios incitant ad pugnandum, omnes enormiter peccant: de rigore canonico eos credimus deponendos.

CAP. VI.

Clericus pro magno ſcelere ab eo commiſſo, deponi debet, & in monaſterium detrudi, ad agendam pœnitentiam.

Idem *London. Epiſcopo.*

TVæ diſcretionis *b* prudentiam: *& infrà.* At illud, quod à nobis tertiò requiſiſti, qualiter clerici in latrociniis, vel aliis magnis ſceleribus deprehenſi, puniri debeant. Reſpondemus, quòd à ſuis ordinibus degradati, detrudi debeant in arctis monaſteriis, ad pœnitentiam peragendam.

CAP. VII.

Si uterq; contrahentium venit contra contractum, uterq; poteſt exigere pœnam, ad invicem promiſſam ex conventione.

Idem *Abbatibus & fratrib. Cryptæ ferratæ.*

COnſtitutus *c* in præſentia noſtra: *& infrà.* Licet autem in inſtrumento Epiſcopi Lavitani expreſſa fuerit certa pœna, quam pars contractum non ſervans, ſolveret obſervanti: cùm tamen utraque pars veniſſe contra illum, ex confeſſione propria convincatur, cùm & pars veſtra ſubtraxerit Epiſcopo penſionem, & Epiſcopus procurationem exegerit ab eadem eccleſia, ſicut Oeconomus propoſuit memoratus, utramque partem ab ea reddimus abſolutam.

CAP. VIII.

Si juſſu propter vacillationem incarceratur, infamiam non incurrit.

Idem *Priori S. Fridiani & Magiſtro B. Canonico Piſano.*

SVper *d* his, de quibus nos conſulere voluiſtis: *& J.* Clericus autem, qui pro eo quòd variaverat & vacillaverat coram vobis *e*, de mandato noſtro *f* captus eſt & detentus, infamiam non incurrit.

CAP. IX.

Obligatus ad certam quantitatem, certa die ſub pœna ſolvendam, ſi partem intra terminum ſolvit, ad pœnam integram non tenetur.

Idem *Spoletano Epiſcopo.*

SVam *g* ad nos rectores clericorum ſancti Fortunati querimoniam tranſmiſerunt, quòd cùm tibi eſſent in xl. libris, per quoddam arbitrium condemnati, eſſetque pœna xxx. librarum appoſita, niſi ea ſolverent in termino conſtituto, tandem xxxiii. libris in termino perſolutis, occaſione ſeptem reſiduarum, per quaſdam noſtras *h* literas veritate tacita impetratas obtinuiſti eos in præfatis xxx. libris, tibi per delegatum judicem condemnari. Quia igitur te non decet in tantum Pontificalis modeſtiæ oblivisci, ut inhoneſtis quæſtibus anhelando deſideres cum aliena jactura ditari: mandamus, quatenus ſeptem librarum ſolutione contentus, ſuper pœna xxx. librarum memoratos rectores de cætero non moleſtes.

CAP. X.

Occidentes prælatum, privantur beneficiis & feudis, quæ habent ab eccleſia, cui præerat prælatus ille, nec eis vel hæredibus reſtituentur, nec alia de novo concedi debent. Et hodie in occidente, capiente, vel banniente Epiſcopum, auctæ ſunt ſimiles pœnæ: de quibus in clem. Si quis ſuadente. eodem tit.

Idem.

AD aures *a* noſtri Apoſtolatus pervenit, quòd cùm quidam parœciani tui auſu diabolico [bonæ *b* memoriæ.] I. Vincentinum Epiſcopum, prædeceſſorem tuum nequiter peremiſſent, feuda & beneficia, quæ illi à Vincentina eccleſia obtinebant, ipſis per ſententiam fuerant cum multa deliberatione ſublata. Quia igitur majori ſunt animadverſione plectendi, nos tam tibi quàm ſucceſſoribus tuis, auctoritate Apoſt. prohibemus, ne ipſis, aut hæredibus eorum beneficia prædicta reſtituantur, ſeu de novo eis alia quælibet conferantur.

CAP. XI.

Prorumpens contra judicem arbitrio ſuperioris punitur.

Idem.

DIlectus *c* filius electus ſancti P. ad montes: *& infrà.* Ne judicialis evaneſcat auctoritas, cùm de litigatoris improbitate conſtiterit, adverſus aſſertionem judicis temerè prorumpentis, juxta ſuperioris arbitrium digna poterit animadverſione puniri.

CAP. XII.

Patroni, advocati, vel vicedomini vindicantes ſibi in eccleſiis plus quàm jura permittant, per cenſuram eccleſiaſticam compeſcuntur: & ſi occidunt prælatum vel clericum eccleſiæ per ſe, vel per alios, perdunt quod habent ab eccleſia, & eorum poſteri uſque ad quartam generationem non admittuntur ad clerum, nec in religionibus præficiuntur.

Idem *d in Concilio generali.*

IN quibuſdam provinciis eccleſiarum patroni & advocati, ſeu vicedomini ſe in tantam inſolentiam erexerunt, quòd non ſolùm cùm vacantibus debet eccleſiis de paſtoribus idoneis provideri, difficultates ingerunt, & malitias, verùm etiam de poſſeſſionibus, aliiſque bonis eccleſiaſticis, pro ſua voluntate ordinare præſumunt: & (quod horrendum eſt dicere) in necem prælatorum prorumpere non formidant. Cùm igitur, quod ad defenſionis ſubſidium eſt inventum, ad depreſſionis diſpendium non debeat retorqueri: prohibemus expreſsè, ne patroni vel advocati, ſeu vicedomini ſuper præmiſſis, de cætero plus uſurpent, quàm reperiatur in jure permiſſum: & ſi contra præſumpſerint, per ſeveritatem canonicam diſtrictiſſimè compeſcantur. Sacri nihilominus concilii approbatione ſtatuimus, quatenus ſi patroni, vel advocati, aut feudatarii, ſeu vicedomini, aut alii beneficiati alicujus eccleſiæ, rectorem vel clericum alium ipſius eccleſiæ, per ſe, vel per alios occidere, vel mutilare auſu nefando præſumpſerint: patroni jus patronatus, advocati advocatiam, feudatarii feudum, vicedomini vicedominatum, & beneficiati beneficium prorſus amittant. Et ne minus vindictæ quàm exceſſus memoria prorogetur, non ſolùm de præmiſſis nihil perveniat ad hæredes, ſed etiam uſque ad quartam generationem poſteritates talium in clericorum collegium nullatenus admittantur, neque in domibus regularibus alicujus prælationis aſſequantur honorem, niſi cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum.

---

a *Cap. 1. eod. tit. in 3. compil. an clerico pugnare liceat, explicat* S. Thom. *2. 2. q. 40. art. 2. & ibi Cajet.* b *C. 3. tit. de vita & hon. cler. in 3. compilat. vid. Bern. Diaz. in pract. crimin. can. cap. 84.* c *Parisca. conſtitutus. ſup. de relig. dom. ubi invenies varietates de voce Lavitani.* d *Cap. 3. de acc. in 3. compil.* e *alit. nobis.* f *al. veſtro.* g *Ca. 2. ne cler. vel Monach. in 3. comp.* h *Dictio, noſtras, deeſt in pleriſq; antiquis.*

a *Cap. 1. eod. tit. in 1. compilat.* b *Hæc duo verba, bonæ memoriæ, deſunt in omnibus Vatic.* c *C. 1. tit. de probat. in 4. compil.* d *Scilicet Innocent. III. in Conc. gener. c. 45. & Ca. 2. eod. tit. in 1. compilation.*

CAP. XIII.

Domino excommunicato manente, ſubditi fidelitatem non debent: & ſi longo tempore in ea perſtiterit, & monitus non paruerit eccleſiæ, ab ejus debito abſolvuntur.

Honorius III. *præpoſito Archidiac. & H. canonico Sueſſion.*

GRavem capituli Lund. *a* recepimus queſtionem, quòd cùm comes Regiſtren. *b* pro multis injuriis, quas irrogarat eiſdem *c*, per judices à ſede Apoſtolic. deleg. excommunicationis vinculo fuerit innodatus, idem per duos annos & amplius in excommunicatione perſiſtens, juri parere pertinaciter renuit, claves eccleſiæ contemnendo. Licet igitur hujuſmodi pertinacia non careat ſcrupulo hæreticæ pravitatis: volentes tamen nobilitati parcere comitis ſupradicti: Di. v. mandamus, quatenus ſi comes ſupradictus poſt commonitionem veſtram non paruerit plenè juri, vos eccleſias, in quibus aliquod jus habere dignoſcitur, ab ejus debito abſolventes, fideles ipſius (quamdiu in excommunicatione perſtiterit) ab ejus fidelitatis juramento denuncietis penitus abſolutos.

DE POENITENTIIS, ET REMISſionibus.

TITVLVS XXXVIII.

CAP. I.

Pro manifeſto peccato pœnitentia publica imponi debet.

Alexander Papa *d.*

MAnifeſta peccata non ſunt occulta correctione purganda.

CAP. II.

Ponit pœnitentiam occidentis Presbyterum.

Ex Concilio Maguntinen.

QVi Presbyterum occiderit, XII. annorum pœnitentia ei ſecundùm canones imponatur: & ỹ. Convictus, uſque ad ultimum tempus vitæ ſuæ militiæ cingulo careat, & abſq; ſpe conjugii maneat.

CAP. III.

Conſideratis circumſtantiis arbitraria pœnitentia indicendam eſt ei, qui modum exceſſit ſe defendendo.

Alexander III. *Mediolan. Archiepiſc.* [*& e ſuffraganeis.*]

SIgnificavit *f* nobis vir nobilis P. quòd F. dicto Imperatori, cùm olim rediret ab urbe, caſtrum Vernicæ negavit: *& infrà.* Vnde contingit, quòd IV. caſtris deſtructis pluſquam duo milia domorum deſtructa fuerunt, multi homines interfecti, & alia mala ibi commiſſa, quæ longum eſſet per ſingula enarrare. Quoniam igitur præfatus P. Deo exinde reconciliari deſiderat: mandamus, quatenus ipſi pœnitentiam (ſecundùm quod viſum fuerit) miſericorditer imponatis *g*, attendentes *h*, quòd pro libertate ſua & eccleſiæ devotione hoc fecit. Quare in his debetis talem diſcretionem habere, ut alii, & ipſe idem pro auſteritate pœnitentiæ à ſervitio eccleſiæ nullatenus retardentur, nec aliquod ſalutis periculum debeant formidare.

CAP. IV.

Indulgentiæ, quæ conceduntur per prælatos, non ſubditis non proſunt, niſi proprii judices hoc concedant.

Idem *Archiepiſcopo Cantuarienſi.*

QVòd autem *i* conſuluiſti, utrùm remiſſiones, quæ fiunt in dedicationibus eccleſiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis proſint [illegible] qui remittentibus ſubſunt: Hoc volumus [illegible] nitatem tenere, quòd cùm à non ſuo judice [illegible] lus valeat vel abſolvi, remiſſiones prædictas [illegible] illis tantummodò arbitramur, quibus ut proſint, proprii judices ſpecialiter indulſerunt.

CAP. V.

Non eſt verè pœnitens, qui peccandi animum [illegible] men recipitur ejus confeſſio.

Idem *Beluacen. Epiſcopo.*

QVod *a* quidam ad confeſſionem de criminibus [illegible] niunt, & quamvis confiteri velint, ſe tamen [illegible] abſtinere non poſſe. Con. t. t. r. quòd eorum confeſſionem recipere debes, & eis de criminibus conſilium [illegible] bere: quia licet non ſit vera hujuſmodi pœnitentia, admittenda tamen eſt eorum confeſſio, & crebris [illegible] bribus monitis pœnitentia indicenda.

CAP. VI.

Qui ex pœnitentia debet certa die in pane & aqua [illegible] deficiente pane, aliis cibariis uti.

Idem *Triburien. Archiepiſc.*

LIcet tam *b* veteris, quàm Novi Teſtamenti pagina: *& infrà.* Si autem illi, qui aliquos dies in pane & aqua ex injuncta ſibi pœnitentia tenētur [illegible], quo veſcantur non habent: leguminibus, [illegible] aut aliis cibariis reficiantur, ſi neceſſitas id expoſcat. Diſcretione tamen adhibita, quòd his non [illegible] ſed ad ſuſtentationem utantur.

CAP. VII.

Sacerdoti Græco procuranti, vel ſtudiosè negligenti [illegible] filiorum, non imponitur pœnitentia publica, ſed debet [illegible] altaris officio, & aliter in ſecreto agere pœnitentiam: [illegible] eſt publicum, debet publicè agere pœnitentiam.

Clemens III.

QVæſitum *d* eſt, utrum ſacerdotibus Græcis, [illegible] legitimo matrimonio licet uti, pœnitentia publica ſit imponenda, ſi eam ſibi poſtulent pro [illegible] injungi? Huic igitur conſul. t. t. reſpond. [illegible] procurantibus, vel ſtudiosè negligentibus [illegible] reperiuntur oppreſſi, ab officio altaris debent [illegible] abſtinere, & eis gravior quàm laicis, non tamen publica (niſi in publicum id veniat) pœnitentia debet [illegible] Verùm ſi ex incuria ipſorum mortui inveniantur [illegible] nis, & illud fuerit occultum, eis pœnitentia [illegible] pœnitentiarii imponatur, & in terrorem aliorum [illegible] tempus abſtineant à celebratione miſſarum.

CAP. VIII.

Sacerdos pœnitentiam arbitrari debet, ſecundùm [illegible] exceſſus pœnitentis, & contritionem, & alias circumſtantias [illegible] quoad titulum.

Innocentius III. *Livon. Epiſcopo, & eis qui cum ipſo ſunt fratribus.*

DEus qui *f* eccleſiam ſuam: *& infrà.* [illegible] pœnitentia non tam ſecundùm quantitatem exceſſus, quàm pœnitentis contritionem, per [illegible] cerdotis arbitrium ſit moderanda, penſata [illegible] perſonarum, ſuper fornicatione, adulterio, homicidio, perjurio *g*, & aliis criminibus, conſiderat [illegible] tiis omnibus, & præſertim novitate Livon. [illegible] competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout ſaluti eorum videritis expedire. Apoſtolicam [illegible] tem veſtigiis inhærentes, dicentis: Lac vobis potum dedi, non eſcam: paulatim eos inſtruatis in fide, [illegible]

a *Laudunen.* b *Regiſiteren.* c *alii. eidem: ſed in antiq. legitur, eiſdem.* d *al. Calixtus, ut in omnib. Vaticanis, ſed hæc reperiuntur apud Greg. lib. 12. epiſt. 31. regiſt. ad Felicem Siciliæ Epiſcopum.* e *Hæ 2. voces, & ſuffraganeis, deſunt in omnibus Vatic.* f *Ca. 2. eod. tit. in 1. comp.* g *imponas.* h *attendens.* i *C. 3. eod. tit. in 1. comp.*

a *Cap. 1. eod. tit. in 2. compilat.* b *Ca. 3. tit. de feriis, [illegible] compil. Pars alia. ſup. de feriis. c. licet.* c *expoſcat.* d [illegible] *tit. in 2. comp.* e *Vid. l. aut facta. §. fin. ff. de pæn. [illegible] quis. ff. de injur.* f *Cap. 1. eod tit. in 3. compil.* g *Vox, perjurio, deeſt in antiq. codic.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN